l. 3. n. 16. Atque benè ait *Cepola eo cons. 58. n. 28.* in primo casu, quamvis hæreticus post commissum crimen adierit, non successurum fiscum. Quia cum hæreticus sit adeundi incapax, juxta dicta *num. 33.* nullum ex ea aditione jus fisco comparari valet.

49 Est tamen hoc limitandum, nisi id adeundi jus tale sit, ut ad hæredes extraneos transmittatur: tunc enim cessabunt rationes traditæ *num. præc.* & id transibit ad fiscum. Sic tenent *Jason* dicens esse commune, *l. Si quis mihi bona*, §. *Servus municipium, ad finem ff. de acquir. hæred. Julius Clar. l. 5. recept. qu. 78. n. 25.* Hoc autem evenit in hærede suo, qui ratione privilegii suitatis hæreditatem sibi delatam, & nondum aditam transmittit in quoscumque hæredes, dummodo illam non repudiarit, *l. Apud hostes 8. C. de suis, & legit. liber. l. Si fratris 3. C. de jure delib.* Et ita optimè ait *Menoc. cons. 77. n. 28. vol. 1.* legitimam filiifamilias, quando post obitum patris deliquit, etsi eam nondum petierit, publicari.

50 Posterior difficultas est, an delinquens posset hæreditatem sibi delatam repudiare in fisci præjudicium? Præmittendum est posse debitorem repudiare in creditorum præjudicium, & fraudem, hæreditatem, & legatum, quamvis sit hæres suus, qualis est filiusfamilias: & quamvis ejus bona sint affecta hypotheca, & quamvis ob delictum sit secuta condemnatio. Quæ omnia latè probavi *l. 6. de matrim. disput. 4. n. 8.* Et ultra *ibi* allegatos latè probat loquens de hæreditate, & legato, *Vasquez* optimas retiones adducens *1. 2. q. 96. art. 5. disput. 172. c. 3. à num. 13. usque ad 20.* Imò & donatio nondum acceptata potest in creditorum fraudem repudiari. Ut probat textus *l. si Sponsus 5. §. Si maritus, ff. de donat. inter vir. & uxor.* & tradunt *Tello l. 4. Tauri n. 52. Vasquez eodem c. 3. n. 14.*

51 At non possent hæc repudiari in alicujus favorem, seu clariùs loquendo, non posset debitor cedere legato, aut renuntiare hæreditati, ut vice ipsius alter, in cujus favorem renuntiet, succedat, dando illi suas vices, qui absque cessione hac non esset successurus. Quia in ea cessione imbibitur tacita acceptatio, & proinde acquisitio. Quod probavi *eadem disp. 4. in n. 17. contra alios ibi n. 16. relatos*. Et hanc meam sententiam ultra DD. quos *eo n. 17.* retuli, tenent *Tello 4. Tauri n. 55. Vasquez eodem c. 3. num. 18.* Advertit autem optimè *Tello ibi*, aliud esse pretio aliquo accepto meræ hæreditatis repudiatio fieret, & non in favorem alicujus, quasi ex ea jus succedendi assequatur, sed repudiatio se habeat tamquam removens impedimentum, quo remoto alter succedit: tunc enim valida est in creditorum præjudicium: atque illis solum jus ad pretium acceptum competit, quasi in bonis debitoris existens. Quia pretium illud non efficit, ut repudiatio egrediatur veræ repudiationis terminos.

52 Sed difficultas est, an quæ diximus *duplici n. præced.* de repudiatione hæreditatis, & legati in præjudicium creditorum, possint etiam fieri in præjudicium, & fraudem fisci? Quidam dicunt posse ante condemnationem fisco applicandam hæc repudiari, secùs post: & ita conciliant duos textus, qui secum pugnare videntur. Prior est *l. Cum quidam 26. ff. de jure fisci*, ubi expressè videtur hæc repudiatio approbari, ibi: *Cum quidam capitis reus emancipasset filium, ut hæreditatem adiret, rescriptum est, non videri in fraudem fisci factum, quod acquisitum non est*. Posterior est *l. In fraudem 45. in princ. ff. Eodem titul.* ubi oppositum videtur decidi, ac hoc esse privilegium fisci, ibi: *In fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienatæ revocantur. Idemque juris est, etsi non quæratur. Æquè enim in omnibus fraus punitur*. Dicuntque priorem intelligi ante delinquentis condemnationem, at posteriorem post illam. Sic *Glossa ea l. Cum quidam, verbo Hæreditatem, Rainerius, Albericus, Zasius*, ut eos refert *Tello l. 4. Tauri num. 63.* idem tenent *Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicatione, n. 29. ad finem, Peregr. alios referens de jure fisci, lib. 5. tit. 1. nu. 190. & duplici sequenti*.

53 At dicendum est nullo in hac re privilegio gaudere fiscum, sed valere repudiationem in ipsius fraudem, perinde ac in aliorum creditorum. Quod probavi *l. 6. de matrimon. disput. 4. num. 8. versic. Tertiò alii temperant*, ubi aliquos Auctores retuli, & ultra illos idem tenent *Annibal l. Post contractum, num. 284. ff. de donat. Plotus inter consilia criminalia Zileti, tomo primo, consil. 130. num. 57. Meres de majoratu, in priori edit. par. 4. quæst. 23. num. 45. & 53. Menochius consil. 101. num. 4. volum. 1.* Idem videtur clarè tenere *Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disp. 172. cap. 3. n. 13. & sequent.* quia etsi quæstionem moveat expressè de repudiatione post delictum commissum, sed ante sententiam, at rationes quibus innititur, id probant in utroque tempore & refert *Tello* pro se, qui in utroque tempore loquitur, *l. 4. Tauri, num. 63. & 64.* & ipsemet *Vasquez ibi n. 14. in fine*, dicit eum, cujus bona sunt confiscata, posse hac repudiatione uti. Nec obstat textus *l. In fraudem* adductus *num. præced.* in contrarium: quia omissis variis solutionibus, quas *Tello ibi n. 64. & Vasquez ibi nu. 22.* impugnant, respondet *uterque Alciatum referens*, non esse in eo textu sermonem de renuntiatione hæreditatis delatæ reo, cujus bona publicantur: nec id significari in verbis illis, *idemque juris erit, etsi non quæratur*: sed lex illa solùm loquitur de punienda fraude facta fisco, alienando bona publicata: atque eamdem fraudem esse putat, eodemque modo puniendam, sive alienatio fiat, ita ut transferatur dominium in alterum, sive non transferatur, & ita prædicta verba intelligenda sunt, nempe, *etsi non quæratur*, idest, etsi non quæratur jus ei, cui in fisci fraudem res donantur. Sicut emphyteota eodem modo punitur alienando emphyteosim, sive alienatio valeat, sive non.

54 Sed dubitabis, an peccet hic repudians in fraudem fisci, quamvis valeat repudiatio? Ratio dubitandi est, quia eum peccare contra justitiam repudiando in aliorum creditorum fraudem dixi latè probans *lib. 6. de matrim. disputat. 4. n. 9.* quod idem ultra Doctores *ibi* allegatos sequitur *Vasquez 1. 2. qu. 96. art. 5. disput. 172. c. 3. nu. 15.* Sed sic distinguendum censeo: si sola bonorum publicatio facta sit, non peccat repudians. Quia fiscus non est creditor, nisi respectu bonorum, quæ tunc habet, nec tenetur in ejus commodum acquirere. Si verò erat damnatus aliqua pœna solvenda fisco, tunc peccaret repudiando, si aliàs non esset illam pœnam solvendo. Quòd tunc jam fiscus sit verus creditor, & reus teneatur lege justitiæ eam pœnam instar aliorum debitorum solvere.

55 Tandem aliud dicendum est de remissione debiti, ea enim à fisco revocabitur, instar aliarum donationum. Quia renuntiare debitis, est jus jam acquisitum, ac propria bona remittere, & donare. Et ita docet *Vasquez ea disp. 172. c. 3. num. 19.*

CAPUT XV.

De confiscatione peculiorum, ac legitimæ parentum, ob filiifamilias crimen.

SUMMARIUM.

Non procedit in filiis extra patriam potestatem constitutis, quo ad hæc peculia publicanda: & quoties ea publicantur, idem fiet, etsi filiusfamilias sit sacerdos, num. 1.
Quot quæstiones disputandæ sunt? n. 2.
An ob delictum filiifamilias publicetur peculium castrense, vel quasi castrense? Refertur quædam sententia, n. 3.
Explicatur sententia Auctoris, ac solvuntur contraria, n. 4.
Quid si condemnatus ille filios haberet? n. 5.
Post n. 5. invenies alia summaria.

1 HÆc quæstio quod attinet ad peculia publicanda, procedit in solis filiisfamilias: nam cum emancipati non habeant peculia. *l. final. in fine, C. de inoff. testam.* de illis non procedit, sed omnia eorum bona publicabuntur, sicut cujusvis patrisfamilias. Quod benè advertit *Bernar. Diaz in pract. canonica, in nova edit. c. 132. n. 6.* qui benè etiam *eo n. 6. in fine* advertit, casu quo hæc filiorumfamilias bona non publicantur, nec publicari, etsi illi sacerdotes sint. Quia juxta frequentissimam sententiam ordo sacer non liberat patria potestate.

2 Quadruplex quæstio disputanda est. Prima est, de confiscatione castrensis, aut quasi castrensis peculii, ob crimen filii. Secunda de adventitii peculii confiscatione. Tertia de peculii profectitii confiscatione. Ultima de legitimæ confiscatione.

3 Quæstio prima. An publicatis filiifamilias bonis ob ejus delictum, publicetur castrense, aut quasi castrense ejus peculium? Duplex est sententia. Prior asserit id confiscari. Ducitur potissimùm, quia ideò statutum est *l. Filius 3. C. de bonis proscript.* peculium castrense non publicari ob filiifamilias delictum, quòd tempore illius textus filiusfamilias omnia patri acquirebat: ut constat ex *l. Placet 78. ff. de acquir. hæred.* At favore militiæ concessa fuit filiofamilias libera potestas disponendi de peculio castrensi, vel quasi, ita tamen ut si non disponeret, sed ab intestato decederet, id peculium ad patrem pertineret, non quasi hæreditas, nec quasi denuo acquisitum, sed quasi numquam ab ejus dominio profectum, *l. 1. fin. ff. de coll. bonor. & l. 1. & 2. ff. de castrensi peculio*. Et ideò cum id peculium esset patris, non erat ei ob alienum filiifamilias delictum auferendum. Quippe id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, *regula Id quod nostrum, ff. de regulis jur.* At hoc hodie sublatum est, & constitutum, ut peculii castrensis, aut quasi, filiusfamilias integrum dominium habeat, & ipsi decedenti ab intestato pater non jam jure peculii, sed tamquam verus hæres succedat, *§. Si quis igitur, auct. de hæredib. ab intestato, collat. 9. & authent. defuncto C. ad. Tertul.* Ergo cessat ea dispositio. Secundò, quia filiusfamilias habet liberam disponendi, & contrahendi in hoc peculio facultatem, instar patrisfamilias, *l. 2. C. ad Macedon. & l. 3. C. de Castrens. pecul. l. 12.* Ergo potest id peculium fisco obligare, & sic confiscabitur: cum fisco enim quasi contrahitur, & bona in eum quasi ex contractu alienantur, *l. Imperatores 34. ff. de jure fisci* ibi: *Ipse te huic pœnæ subdidisti*. Tandem, quia aliàs nulla filiifamilias bona publicarentur: cum adventitia, & profectitia, & legitima non confiscentur. Ut mox dicemus. Et ideò hæc sententia est valde probabilis, & eam sustinent *Romanus l. Si finita 15. §. Si de vectigalib. n. 15. ff. de damno infecto, & l. Si filiusfamilias 21. n. 3. ff. eod. tit. ubi Angelus n. 3. Decius l. 3. §. Filius, in nova editione, n. 4. ff. quod quisque juris. Crottus* dicens fortè hanc esse veriorem sententiam *l. Frater à fratre, numer. 34. ff. de condict. indeb. Nellus tractatu bannitorum 1. part. secundi temporis, n. 25. Gygas tract. de crimine læsæ majestatis l. 2. tit. de pœnis committentium hoc crimen, q. 12. n. 2. Jacob. de Arena, & Florianus*, quos refert *Peregr. de jure fisci, l. 5. tit. 1. num. 130.* & dicit fortè hanc opinionem prævalituram pro fi[illegible]o, *Anton. Gomez tom. 2. variarum, c. 15. n. 15. ad finem, Sima[illegible] de instit. cathol. tit. 9. n. 13. & duplici sequenti, Caldas l. Si[illegible]torem, verb. Læsis, n. 112. vers. Sed in oppositum, C. de in i[illegible]r. restit. Azevedo lib. 8. recopil. tit. 3. l. 1. n. 210. Cantera in suis quæst. criminal. tit. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum, c. 1. n. 40.* dicens hanc in puncto juris esse veriorem, & se credere fore ut in praxi servetur, quamvis dicat in judicando, & consulendo, non recedendum à contraria sententia, quæ communis est, *Valdes addition. ad Suarez, l. Post rem judicatam, notabili 13. n. 2. versic. Sed in peculio castrensi, ff. de re jud. Azor. tom. 1. institutionum moralium, l. 5. cap. 7. qu. 8. & tomo 2. lib. 2. cap. 22. qu. 8. Vasquez 1. p. quæst. 96. artic. 5. disput. 169. cap. 1. num. 9.*

4 Posterior sententia, (cui tamquam probabiliori adhæreo) ait non publicari ejusmodi peculium castrense, vel quasi, ob filiifamilias delictum, sed deferri tunc patri, in patriæ potestatis solatium. Probatur ex *l. Si filius 3. C. de bonis proscript.* ibi: *Si filius tuus cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium ejus, neque quod in castris acquisivit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet*. Nec obstat quod contrarii intendunt, quod retulimus *num. præced.* in prima ratione. Quia ratio hujus dispositionis non fuit, eò quòd filiusfamilias non haberet in hoc peculio hæredem ab intestato. Quippe adhuc filio superstite, in quo casu non est locus hæredi ab intestato, defertur hoc peculium patri, in paternæ potestatis solatium, si bona filiifamilias publicentur. Secundò, quia idem jus habet filiusfamilias in hoc peculio, quo ad proprietatem, & usumfructum, quod in adventitiis, quo ad proprietatem, servato patri usufructu. Cum ergo hoc nec quo ad proprietatem publicetur, ut fatentur aliqui ex Doctoribus contrariis, & probabimus *numero 9.* nec illud ullo modo publicabitur. Tertiò, quia non obstant argumenta contraria adducta *num. præcedenti*: nam ad primum jam responsum est. Ad secundum respondet optimè *Joannes Lupus rubrica de donation. inter virum & uxorem, §. 66. nu. 25.* non omnem potentem alienare ex contractu, posse quoque alienare ex delicto. Ut constat in viro, qui potest omnia lucra constante matrimonio acquisita alienare ex contractu, nequit tamen ex delicto nisi suam partem. Et ratio est, quia obligatio ex delicto non habet consensum verum, sed fictum, innitentem ei principio, *qui vult antecedens, vult consequens*, cum pœna delictum sequatur: & ideò minùs debilis est quàm obligatio ex contractu, quæ verum consensum habet. Nec etiam obstat ultimum, nec enim absurdum est, nulla filiifamilias bona ob ejus delictum publicari: cum id permittat textus dict. *l. Si filius*. Et ideò hanc sententiam sustinent *glossa l. 1. verb. Supplicii, ff. de bonis damnatorum, Speculator titul. de executione sententiæ, §. Sequitur videre, num. 11. & titul. de feudis, §. Quoniam, quæstione 40. num. 63. Azor. in summa, titul. de bonis proscript. num. 3. Cynus dicta l. Si filius, num. unic. & ibi Petrus num. un. Odofred. num. un. Bart. num. un. Baldus num. primo. Albericus, num. unico. Salicetus num. 1. & 2. Angelus, num. 1. Fulgos. num. 2. & 3. Idem Bart. l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, num. 2. & 13. ff. de damno infecto, & ibi Alexand. num. 49. Imola num. 55. Zasius, num. 19. Idem Bart. l. Si filiusfamilias 21. num. un. ff. de damno infecto, & ibi idem Imola, num. 4. Idem Baldus l. Executorem 32. in fine versic. Si verò sit castrense, C. de executione rei judic. Albericus de statutis lib. 3. quæst. 12. num. unico, & qu. 24. num. 4. Decius regula ex pœnalibus 58. num. 3. ff. de regulis juris. Platea l. Et si instrumenta, num. 1. vers. Item nota hic, C. de fide instrum. lib. 10. Ananias cap. 2. num. 7. vers. Extra glossam, de delictis puerorum. Jason l. Servum filii, in principio, num. 7. ff. de legat. 1. & §. Actiones autem, num. 63. institut. de actionibus, & lib. 3. §. Si filius meus, num. 1. ff. Quod quisque juris, & ibi Alexand. num. 2. Jacobinus de Sancto Georgio, ibi, in prima lectura, num. 2. & in secunda nu. 1. Faber instit. de noxal. action. §. finali, num. 2. Ruinus consil. 24. num. 6. & 17. consil. 25 num. 4. volum. 5. & consil. 11. num. 7. volum. 1. Angelus tractatu de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num. 27. Parisius consilio 157. num. 36. volum. 4. Franciscus Lucanus tractatu de fisco, & ejus privilegiis, in 2. part. principali tit. de publicatione bonorum, num. 3. Ludovicus Gomez §. Actiones autem, num. 13. institut. de actionib. Boerius decisione 7. numer. ultimo, Joannes Lupus rubr. de donat. inter virum & uxor. §. 66. num. 24. vers. Præsupposito sine veritatis præjudicio, Maranta in sua practica part. 6. in ultimo actu, n. 36. Suarez l. Post rem judicatam, notabili 13. num. 2. ff. de re judic. Costa l. Qui duos, §. Cum in bello, verbo, Patris, n. 11. ff. de rebus dubiis. Bernardus Diaz in practica canonica, in nova editione, c. 132. n. 6. Covar. lib. 2. variar. c. 8. n. 7. versic. Hinc apparet, Plotus inter consilia criminalia Zileti, tom. 1. cons. 130. num. 16. Emmanuel Suarez addit. ad Antonium Gomez 2. variar. c. 15. n. 15. litera D. & in suo thesauro receptarum sententiarum, verbo Peculium, n. 7. Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicatione, nu. 71. Julius Clarus lib. 5. recept. sentent. qu. 78. num. 13. Riminaldus l. 1. à num. 476. C. Qui admitti. Horoscius lib. 3. §. Si filius meus, verb. In magistratu, n. 8. ff. Quod quisque juris. Menoch. de recuperanda possessione, remedio 9. nu. 70. Decisio Cappellæ Tolosanæ 120. num. 3. & 4. Meres de majoratu, in priori editione, par. 4. qu. 23. n. 19. Ascanius Clemens de patria potestate cap. 6. effectu 2. numer. 37. Duennas regula 275. limitat. 7. Conradus in sua practica tit. de officio prætoris in causis civilibus, rubrica de executione sententiæ, num. 14. vers. Quarto in peculio, & titul. de officio prætoris in causis criminalibus, num. 3. versic. Quarto similiter limita. Mendez l. Cum oportet n. 84. C. de bonis quæ liber. Hondedæus consil. 93. n. 37. volum. 1. Farinacius in sua practica, in nova editione, tom. 1. p. 1. tit. de delictis, & pœnis, q. 23. n. 11. & 13.* Et quamvis *n. 14.* hoc limitet, nisi in crimine læsæ majestatis, in quo etiam publicari tradit *Quemada in suis qu. fiscalibus q. 19. ad finem*: non est admittenda hæc limitatio, sed cum aliis est absolutè dicendum non publicari.

5 Quæ quidem sententia est vera, etsi ille condemnatus filios habeat, nam adhuc pater jure peculii occupabit castrense, & quasi castrense, nec de illius condemnati filiis curabitur. Quia vivens hæredem non habet, sed post solam mortem: tunc autem jam pater id filii peculium acquisivit. Sic tradunt *Salicetus l. 3. n. 2. C. de bonis proscr. Alex. l. Si finita 15. §. Si de vectigalib. num. 49. versic. Adde quod gloss. ff. de damno infecto. Peregr. de jure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 130. vers. Ampliatur.* Quamvis contrarium minùs benè teneat *Bald. l. Executorem, n. 32. in fine, vers. Si verò sit castrense, C. de execut. rei judic.* dicitur ex *auct. Bona damnatorum, C. de bonis proscr.* ubi dicitur bona damnatorum non fisco, sed descendentibus deferri. Qui textus nil probat, cum hodie sit correctus, & deferantur fisco.

SUMMARIUM.

An ob filiifamilias delictum, publicetur adventitium ejus peculium? Refertur quædam sententia, n. 6. 7. & 8.
Explicatur sententia Auctoris n. 9. & ibi in fine, quid si hic filios habeat?
An saltem in Castellæ regno confiscetur tertia eorum bonorum pars, de qua potest filius testari? n. 10.
An confiscetur ob hæresim, aut crimen læsæ majestatis filiifamilias, ususfructus qui in bonis ejus adventitiis competit patri? numero 11.
An confiscentur ea adventitia, quando patris consensu ea filius administrat, aut facto compromisso judicarunt arbitri administrationem esse filii? n. 12.
Quid si alius tunc usumfructum illorum habeat, at sperat pater se habiturum? n. 13.
Quid si ipse filius habeat eorum usumfructum? n. 14.
Solvuntur argumenta, n. 15.
Post n. 15. invenies alia summaria.

6 QUæstio II. An ob filiifamilias delictum publicetur adventitium ejus peculium? Duplex est sentent. Prior affirmat id publicari quo ad proprietatem, reservato patri usufructu, quem in eo habebat. Ducitur ex *l. Si postulaverit 27. §. Jubet ff. ad l. Juliam, de adulter.* ibi: *Publicamus in proprio, cujus ususfructus alienus est, nudam proprietatem*. Secundò, quia *l. Filius 3. C. de bon. proscript.* hanc publicationem interdicens, procedit stante jure antiquo, quo attento omnia adventitia filii bona acquirebantur patri, *l. Placet 78. ff. de acquir. hæredit.* Non ergo hodie ea procedet, cum adventitiorum proprietas sit ipsius filii, *l. Cum oportet, & l. final. C. de bonis quæ liber.* Sed erit locus regulæ generali traditæ *eo §. Jubet*. Tertiò, quia etsi is cui alienatio interdicitur, nequeat alienatione voluntaria uti: secùs est de legali, & consequenter necessaria, qualis est per delictum. Sicut si filiusfamilias in religione profiteatur, pertinebunt ad illam adventitia quo ad proprietatem, reservato patri usufructu, *auct. Ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.* Sicut etiam bona minoris, cui absque curatoris auctoritate est alienatio vetita, publicantur ob ejus delictum, *l. Clarum, C. de auctor. præst.* Quòd si respondeas, huic alienationem in ipsius favorem interdici, at filio familias in favorem patris: & ideò jure optimo ob proprium delictum privatur ille favore suo: iniquissimè autem ob alienum filii delictum privaretur pater favore suo: cum pœnæ solos suos auctores tenere debeant, *l. Sancimus C. de pœnis*. Impugnatur hæc solutio, eò quod alienatio adventitiorum interdicitur filio ob proprium ipsius favorem, & non patris. Ut constat ex *l. Finali, §. Filiis autem, C. de bonis, quæ liber.* ubi hæc alienatio interdicitur reddita ratione, his verbis: *Melius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium*. Quippe ea verba, *cupidini dediti*, non possunt referri ad parentes, cum ipsi non alienent victi ea cupidine, nec ipsis interdicatur hæc alienatio. Et ita *glossa ibi verbo Dediti*, ait *scilicet filii*. Atque si ea verba, *tristem exitum sentiant*, referantur ad parentes, manet nominativus ille absolutus. Et confirmatur, quia ex hac alienatione nullum damnum in patrem redundat, utpote cui reservatur ususfructus, dum superstes fuerit, quem solum in filii bonis habebat: ac sola proprietas, quæ omninò filii erat, publicatur. Et ideò hanc sententiam tuentur *Ripa cap. Sæpè num. 76. quæst. 11. de restitut. spoliat. Sylvest. verbo Peculium 1. quæst. 3. vers. In adventitio verò, Caldas l. Si curatorem, verbo Læsis, num. 112. versic. Sed in oppositum, & num. 152. vers. Sed in proposita specie, C. de in integrum restitut. Valdes addit. ad Suarez l. Post rem judicatam, no-*

tabilit 13. *num. secundo ff. de re judic. vers. Ex quo sequitur*. Atque in crimine læsæ majestatis publicari eam adventitiorum proprietatem, tenent *Ludovicus Gomez* §. *Actiones autem, num.* 13. *institut. de action.* & loquens etiam de hæresi *Octavianus* latissimè probans *decisione Pademontana* 94. *à nu.* 9. *usque in fin.* & concludit ita decidisse Senatum. Et loquens de sola hæresi tenet *Simancas de instit. cathol. tit.*9. *n.*16. & 18. Et loquens de utroque crimine *Azor. t.*1. *institut. moral. lib.*5. *c.*7. *q.*8. & de utroque etiam videtur loqui idem tenens, *Vasquez* 1. 2. *q.*96. *art.*5. *disp.*169. *c.*1. *n.*9. Quia etsi generaliter dicat adventitia publicari: ratio tamen quam tradit, nempe, eo quòd solvatur patria potestas, indicat clarè illum loqui de solo duplici hoc crimine, ob quod solvitur. Quid autem hi sentiant de usufructus publicatione ob hæc crimina, dicemus *hoc eodem cap, n.*8.

7 Atque aliqui hujus sententiæ Auctores dicunt, quamvis contraria sententia afferens adventitiorum proprietatem non publicari, esset verior: at in hoc Castellæ regno publicari tertiam illorum partem quo ad proprietatem. Ducuntur autem, quia potest filiusfamilias attento jure hujus regni. *l.* 6. *Tauri, hodie l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *nova recopilat.* testari de proprietate ejus tertiæ partis. Ex quo deducit *Caldas eo l. Si curatorem, verbo Lasis n.*152. *vers. Licèt si patris, ad finem*, posse quoque eum per contractum illam alienare. Sic tenent *Caldas eo n.*152. *versic. Sed in proposita specie, in fine, Valdes eo num.* 2. *vers. Nec obstat aliud fundamentum, in fine*. Idem tradit *Cantera*, quamvis teneat contrariam sententiam in aliis duabus adventitiorum partibus, de quibus nequit testari, *in suis quæst. criminalibus, tit. de quæst. tangent. punitionem delictorum, c.* 1. *n.* 39.

8 Alii verò ejusdem sententiæ Auctores volunt ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, publicari etiam usumfructum, quem pater habet in his bonis adventitiis. Ratio est, quia ob utrumque crimen patitur filius maximam capitis diminutionem: at hac id jus patriæ potestatis solvitur, ut constat ex §. *Cum autem is, institut. quibus modis jus patriæ potestatis solvitur*, ibi: *Pari ratione etsi is qui in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis*. Ergo & usufructus amittetur, utpote qui ratione solius patriæ potestatis competit patri. Sic tradunt loquentes de hæresi *Simancas de Cathol. instit. tit.*9. *n.*18. *Molina tomo* 1. *de just. disput.* 229. *in tertio modo liberationis a patria potestate, & disp.*9. *columna* 9. *vers. Idem, Sayr. in clavi regia, l.*9. *c.*2. *n.*7. *versic. E contra verò*. Et loquentes de utroque crimine tenent *Azor. tomo* 1. *instit. moral. lib.*5. *c.*7. *quæst.*8. & *lib.* 8. *c.*12. *quæst.*15. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.*169. *c.*1. *n.*9. Et videntur apertè loqui *Simancas*, *Vasquez*, & *Azor.* de usufructu bonorum etiam acquisitorum ab ipso filio ante propriam hæresim. Sed *Molina utroque loco*, & *Sayr.* distinguunt, dicentes usumfructum bonorum, quæ filius ante propriam hæresim acquisierat, minimè publicari, sed manere apud patrem, sicut ante id delictum erat, donec pater moriatur, secùs autem de usufructu bonorum, quæ filius post id delictum acquirit: is enim cum ea proprietate confiscabitur. Ratio autem disparitatis est, quia etsi usufructus acquisitio pendeat à patria potestate, ejus tamen semel acquisiti conservatio ab ea non pendet, sed soluta adhuc patria potestate, durat in parte, dum vixerit. Ut latiùs probabo *lib.*7. *huius tractatus*, dum egero, an filio exempto a patris potestate per religionis professionem extinguatur usufructus, quem pater habebat in bonis filii adventitiis antea acquisitis. Et ideò quamvis per hæresim filii amittatur patria potestas, non cessabit usufructus antea à patre acquisitus in adventitiis à filio nondum hæretico partis: cessabit autem, seu vetiùs loquendo, non acquiretur patri in adventitiis post filii hæresim acquisitis: quamobrem hic solus posterior usufructus ad fiscum transibit. Atque *Molina ea disput.* 9. *colum.* 9. *vers. Idem*, limitat priorem partem, nempe, ut usufructus bonorum, quæ filius nondum hæreticus acquisivit, maneat apud patrem, ut intelligatur nisi filius in hoc Regno Castellæ, & Lusitano eximatur post hæresim à patris potestate per contractum matrimonii secutis Ecclesiæ benedictionibus. Nam sicut ex tunc usufructus ille bonorum antea acquisitorum debebat redire ad filium, ut constat ex *l.* 48. *Tauri, hodie l.*9. *titul.* 1. *lib.* 5. *Recopilat.* ita ex tunc usufructus ille pertinebit ad fiscum.

9 Posterior sententia (quam probabiliorem credo, etsi prior sit satis probabilis) ait ob filii crimen non publicari etiam adventitiorum proprietatem, sed eam manere apud patrem consolidatam cum ipsorum usufructu ad patrem pertinente. Sicut de castrensi peculio diximus *numero* 4. Protinebatur ex *l. Si filius* 3. C. *de bonis proscript.* cujus verba retulimus *numero* 4. Sunt enim ea verba illius ponderanda: *Neque quod in castris*. Quippe particula, *neque*, casus minùs dubitabiles implicat. (Ut cum aliis probat *Everardus in suis topicis legalibus, loco* 110.) Nam cum fortius jus habeat filius in castrensi peculio, quàm in adventitiis: si illud ob filii crimen non publicatur, sed reservatur patri in paternæ potestatis solatium, à fortiori idem de his dicendum erit. Nec hoc est correctum bodie, sicut nec quo ad peculium castrense, esse correctum probavi, *numero* 4. Secundò, quia alienatio ejus proprietatis est interdicta filio absque patris consensu: ut constat ex *l. fin.* §. *Filiis autem*, C. *de bonis quæ liber*. Et probavi latè *lib.* 6. *de matrimon. disp.* 39. *numero* 7. Ergo nec delinquendo potest eam alienare. Quia ea est regula: qui nequit alienare contrahendo in alterius præjudicium, nequit etiam delinquendo. Ut cum aliis probat *Molin. lib.* 4. *de primogen. cap. ult. n.* 7. & *num.* 8. Et confirmatur, quia hæc prohibitio est in patris favorem. Quod probatur ex ipsomet contextu *illius* §. *Filiis autem*, ibi enim post interdictam filiis hanc alienationem, redditur ratio prohibitionis, his verbis: *Melius enim est coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum expectat patrimonium. Cum enim, sicut dictum est, parentes alere eos secundùm leges, & naturam compellantur: quare ad venditionem rerum suarum prosilire desiderant?* Ubi *gloss. verbo Sentiant*, ait: *Scilicet patres*. Quod denotat ratio subjuncta in eo textu, nempe, obligatio patris ad alendos filios. Si enim favor paternus non spectaretur, vana esset ea ratio, & ponitur interrogativè, quasi dicat, *teste glossa, ibi verbo Desiderant*, non est rationi consonum, ut obligato patre ad filios alendos, ipsi disponant de bonis adventitiis. Quamobrem, in iis verbis, *Ne cupiditati dediti tristem exitum sentiant*, supplendum est, si cupiditate ducti filii alienent, sentiant parentes tristem exitum. Id autem ex ea alienatione, etiam reservato patri usufructu, damnum patri pullulat, ut non ita liberam percipiendi usufructus potestatem haberet: posset enim extraneus rei dominus lites excitare circa rei administrationem, nempe, an curam habeat pater rei administrandæ, ex qua percipitur usufructus, ut ita excolatur, ut nullum proprietarius detrimentum patiatur. Et ideò huic sententiæ satis favent *gloss. lib.* 1. *verb. Supplicii, ff. de bon. damnat.* & *Azor. in summa, titul. de bonis proscript. n.* 3. ubi ajunt filio delinquente non publicari ejus peculium etiam castrense: quasi idem dicant de aliis peculiis. Et tenent *Bart. l. si finita* 15. §. *Si de vectigalibus, num.* 12. & 13. *ff. de damno infecto, & ibi Alexand. numero* 44. *Imola num.*55. *Zasius num.* 19. *Paulus num.* 7. *Roman. num.* 15. *Idem Bart. l. si quis in tantam, num.* 11. & 12. C. *Unde vi. Bald. l. Executorum, num.* 52. *in fine vers. Si vero sit Castrense*, C. *de execut. rei judic. Idem Imola l. si filius* 25. *num.* 4. *ff. de damno infecto, & ibi Angelus num.* 3. & *tract. de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num.* 27. & §. *Actiones autem, numer.* 13. *ad finem, institut. de actionibus, & ibi Jason. num.* 62. & 63. & *l.* 3. §. *Si filius meus n.*1. *ff. Quod quisque juris, Abbas consil.*66. *num.*2. *volum.*2. *Salicet. l. si filius* 3. *n.* 3. C. *de bonis proscript. & ibi Fulgosius num.* 3. *Faber* §. *fin. num.* 2. *institut. de noxalibus action. Albericus tractatu de statutis, l.*3. *quæst.* 12. *numero unico, Curtius Senior consil.* 59. *numero* 12. *Chassanæus in consuetud. Burgund. rubrica* 2. §. 2. *in principio, num.* 20. *Crottus l. Frater à fratre, num.* 33. *ff. de condicit. indeb. Parisius consil.* 157. *n.* 32. *volum.* 4. *Ruinus consil.* 117. *n.*6. & *consil.*109. *in fine, vol.* 1. & *cons.* 149. *n.*13. *volum.*3. & *cons.* 24. *numero* 6. *volum.* 5. *Marianus Socinus Junior cons.*77. *numero* 6. & 8. *volum.* 2. *Aymon. cons.*39. *numero* 12. *volum.* 1. *Alciatus cons.*6. *num.*12. *tom.*1. *l.*2. *Boerius decisione* 7. *numero finali, Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, cap.* 132. *numero* 6. *Gygas de crimine læsæ majestatis, l.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen, quæst.* 11. *num.* 1. *Rolandus consil.* 56. *numero* 10. *volum.*... *Nellus tractatu de bannitis* 1. *part. secundi temporis, num.* 25. *Franciscus Lucan. tract. de fisco p.*2. *principali, tit. de publicatione bonorum nu.* 3. *Decisio cappellæ Tolosanæ* 220. *num.* 1. *Rosella in sua summa, verb. Peculium, num.*12. *Suarez l. Post rem judicatam, notabili* 13. *n.*5. *de re judic. Anton. Gomez tom.*2. *var. cap.* 15. *n.* 14. *Maranta in sua pract. part.*6. *in ultimo actu, n.* 35. *Riminaldus l.* 1. *num.* 176. C. *qui admitti, Ludovicus Gomez*, excipiens solùm crimen læsæ majestatis, §. *Actiones autem, num.* 13. *institut. de action. Ascanius Clemens de patria potestate, capit.* 6. *effectu* 2. *n.*36. & 37. *Horoscius l.*3. §. *Si filius meus, verb. In magistratu, num.*8. *ff. Quod quisque juris, Duennas regula* 275. *limitatione* 7. *Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicatione, n.*71. *Julius Clarus l.*5. *receptarum, quæst.*78. *num.* 12. *Peregrinus de jure fisci l.*5. *tit.* 1. *numero* 128. *Hieronymus Gab. cons.*123. *num.*9. *volum.*1. *Platus inter consilia criminalia Zileti, tom.*1. *cons.*130. *n.* 20. *Pancirol. cons.* 181. *num.* 12. *volum.* 1. *Menochius de recuper. possessione, remedio* 9. *num.*66. *Cantera in suis quæst. criminal. in question. tangentibus punitionem delictorum, cap.* 1. *num.*39. cum limitatione tamen explicata *num.* 7. *Hondedeus cons.*91. *num.* 25. *volum.* 1. *Farinacius* alios referens *in sua practica, in priori editione, tom.*1. *part.*1 *tit. de delictis, & pœnis quæst.* 24. *n.* 5. *Mendez. l. Cum oportet, num.* 85. & 92. *in fine*, C. *de bonis quæ liber. Azevedo l.* 8. *recop. tit.* 3. *l.* 1. *num.* 212. Quid autem dicendum sit, si hic filiusfamilias filios habeat, diximus *numero* 5.

10 Atque hæc sententia ampliatur primò contra Doctores relatos *numero septimo*, ut nec proprietas tertiæ partis bonorum adventitiorum, de qua potest liberè filius in hoc regno testari publicetur ob filii delictum, sed maneat penes patrem. Quia (ut probavi *lib.* 6. *de matrimon. disputat. trigesima sexta, numero nono*) verius est non esse integrum ei filio per viam contractus disponere de ea tertia bonorum parte, absque licentia patris habentis in ea usumfructum: & ideò militant rationes *numero præcedenti* traditæ.

11 Quod autem tradunt Doctores *num.* 8. relati de confiscatione usufructus bonorum adventitiorum, ob hæresim, aut crimen læsæ majestatis humanæ filii, non caret difficultate. Quippe *Octavianus decisione Pedemontana* 94. *à numero* 9. *usque ad finem*, dicens ita decidisse Senatum, affirmat usumfructum adventitiorum tunc non publicari, sed perseverare apud patrem. Idem docet *Azevedo lib.* 8. *recopil. tit.*3. *l.*1. *n.*212. Atque *Azor. tom.*2. *institut. moral. lib.* 2. *capit.* 22. *quæst.* 7. concludit in hac re standum esse consuetudine recepta. Et *Farinacius in sua pract. in nova editione, tom.*1. *p.* 1. *tit. de delictis, & pœnis, qu.*24. *n.*9. dicit ob crimen læsæ majestatis filii publicari proprietatem solam adventitiorum. Et *Pancir, cons.* 181. *n.*12. *vol.*1. ait eum usumfructum non confiscari, quamvis filiusfamilias egrediatur ratione criminis à se admissi patriam potestatem. At hi Doctores non explicant, an loquantur de usufructu bonorum ante hæresim, aut post eam acquisitorium. Sed placet in hac difficultate distinctio, quam ex *Molina, & Sayr.* retuli *eodem n.* 8. & limitatio prioris partis, quam *ibi* quoque ex *Molina* retuli. Dum autem *ibi* dicitur usumfructum adventitiorum à filio acquisitorum post hæresim publicari, est intelligendum de bonis acquisitis durante hæresi: nam quæ, postquam resipuit, acquisivit, non publicari probavi *c. prac. n.*10. Et saltem in omni sententia non publicantur bona post condemnationem ab eo acquisita, tamquam bona futura, ut *ibi n.* 9. probavi.

12 Ampliatur secundò nostra sententia, quamvis filius consensu patris administret adventitia: imò, etsi inter utrumque compromisso facto judicent arbitri posse filium liberè de eis bona disponere, adhuc enim non publicabitur illorum proprietas. Sic *Abbas consil.* 66. *n.* 5. *vol.* 2. *Boerius decis.*7. *n.*16. *Bajardus addit. ad Julium Clarum l.*5. *recept. q.*78. *n.*55. Sed contra hoc sunt *Bartol. l. si finita*, 15. §. *Si de vectigalibus, n.*13. *in fine ff. de damno infecto, & ibi Alex. n.* 51. *Menochius de recup. possess. remedio* 9. *n.* 90. Et probant ex *l. Cum & filiofam.* 8. C. *Qui bonis cedere poss.* ibi: *Quod patre volente possident*. Sed potiùs placet, quod priores Doctores dicunt, quia ea administrandi potestas non extenditur ad alienationem ob delictum. Ut dicemus *n.*18. Et ita quamvis dubitans sustinet etiam *Farinac. ea q.*24. *n.*8.

13 Ampliatur tertiò, ut sit vera, quamvis pater solam usufructus spem habeat, eo quòd illa bona relicta sint filio, reservando alteri usumfructum. Nam eo usufructuario mortuo devolvetur usufructus ad patrem, & ideò illa spes paterna operabitur, ne integrum sit alio eam proprietatem absque patris consensu alienare, & subinde nec ex delicto alienabitur in fiscum. Atque hoc probatur ex *l. finali* §. *Filiis autem, verbo Dumtaxat*, C. *de bonis quæ liber*, ubi prohibetur filio alienatio bonorum, in quibus pater habet usumfructum, vel quid aliud: quæ posteriora verba apponuntur ratione hujus spei. Nec mirum hoc videri debet, cum spes hæc multos alios effectus operetur. Ut latissimè probat *Tiraquel, post leges connubiales, à n.* 34. Et ita sustinent *Ruin. cons.*24. *n.*13. *vers. Tertio prædict. vol.*5. *Marianus Socinus Junior. cons.*77. *n.*13. & 14. *vol.*2. *Menochius eodem remedio* 9. *n.*87. *Farinacius eadem q.* 24. *n.*7.

14 Imò, quidam ampliant, etiamsi pater careat usufructu eorum adventitiorum. Ducuntur, quòd peculium castrense non publicatur, juxta dicta *nu.* 4. Cùm tamen ejus usufructus ad patrem non pertineat. Præterea, quòd filiusfamilias nequeat de hoc peculio testari, *l. penultima*, C. *Qui testam. facere possunt*. Cum ergo hoc peculium nequeat ad hæredes extraneos transire, nec in fiscum quoque transibit, juxta regulam traditam *cap. præcedenti numero* 5. Item, quia ratio, ob quam adventitium non publicatur, non est prohibitio alienandi illud, aut de illo testandi, sed prærogativa jure concessa patriæ potestati, ob quam præfertur fisco: quæ æquè procedit in hoc casu. Et ideò ita tenent *Ruinus consil.* 24. *num.* 7. *volum.* 5. & *Julius Clarus*, dicens fortè hoc esse verius, *lib.* 5. *recept.* 9. 78. *num.* 12. & *Marianus Socinus Junior cons.*77. *à num.* 10. *usque ad* 12. *vol.* 2. dicit hoc esse satis probabile: quamvis *n.* 12. dicat se id non asserere tamquam rem carentem difficultate. Idem etiam tenet *Farinacius ea q.*24. *num.*6. At potiùs placet tunc confiscari. Quòd in hoc casu cessent rationes traditæ *num.* 9. ad probandum adventitia non publicari. Tunc enim non est interdicta alienatio favore patris: ac potest filius ea adventitia alienare per contractum, ac subinde ob delictum quoque. Nec obstant rationes contrariæ. Non prior, eò quòd id sit speciale in peculio castrensi, quia jure speciali sit filii. Nec etiam posterior, quia patria potestas solùm impedit testari, & ideò cum non interdicat aliis modis alienare, nec etiam interdicet alienationem ex delicto. Et ideò hanc partem tuentur *Parisius* latissimè probans *consil.* 157. *à num.* 11. *usque in finem, volum.* 4. *Crottus, l. Frater à fratre, num.* 35. *ff. de condict. indebiti, Gygas de crimine læsæ majestatis, lib.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen, q.* 11. *num.*2. *Mendez. l. cum oportet, num.* 88. C. *de bonis quæ liberis*. Et inclinat valdè *Menochius de recup. possess. remedio* 9. *à num.*84. *usque ad* 86. quamvis tandem cogitandum relinquat. Et *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 128. dicit esse valde dubiam prædictam ampliationem, & fortè non prævalituram in crimine læsæ majestatis: & absque dubio interminis *l. Quisquis*, C. *ad legem Juliam majestatis*. Et ideò optimè concludit *Cald. l. Si curatorem, verb. Lasis, numero* 153. *versic. Ex supradictis jam infertur* C. *de in integrum restitut.* confiscari tunc ea adventitia quo ad proprietatem, & usumfructum. Quod idem DD. allegati clarè sentiunt, cum tunc concedant absolutam confiscationem, & utrumque sit filii.

15 Ad argumenta contraria proposita *n.*6. respondetur Ad primum dic eam legem intelligi, nisi alienatio interdicta sit in favorem tertii, ut esse alienationem proprietatis adventitiorum probavi *n.* 9. Ad secundum constat ex dictis *numero* 9. in prima ratione. Ad tertium, negandum est posse alienari alienatione legali. Nec obstat exemplum de religione: quia id speciale est favore professionis. Ad aliud exemplum de minori benè respondetur *ibidem*. Et ad replicam constat ex dictis *eodem num.* 9. in confirmatione secundæ rationis.

SUMMARIUM.

*An ob filii delictum publicetur profectitium ejus peculium? Referuntur probantia publicari, n.*16.
*Non publicatur, & solvuntur contraria, n.*17.
*An id procedat, quamvis filius habeat potestatem donandi, ac dissipandi illius peculii? n.*18.
*Post n.*18. *invenies omnia summaria, quæ desiderantur.*

16 QUæstio tertia. An ob filiifamilias crimen publicetur profectitium ejus peculium? Et videtur publicari. Quippe pater tenetur de peculio hoc, pro invasione, & occupatione à filio facta, *lib.* 3. §. *Idem scribit, ff. de peculio*.

17 At communis omnium sententia, ac verissima est, id non publicari, constat ex *l.*3. §. *Sed utrum, ff. de minorib. & l. Filius* 3. C. *de bon. proscrip.* prout eam *num.*9. ponderavi. Et ratio est, quia id est patris quo ad proprietatem, & usumfructum, solaque administratio est filii. *l. Certum* 13. C. *familiæ erciss.* Ergo id tamquam alienum publicari non debet. Nec obstat textus in contrarium adductus. Quia respondetur cum *Menochio* statim allegando eum textum intelligi, quando filius in judicio damnatur, ut certam quantitatem solvat, in quo dicitur quasi contraxisse, & sic est debitor. Et ideò hanc sententiam tuentur *Bart. l. si finita* 15. §. *Si de vectigalibus, num,* 13. *de damno infecto, & ibi Romanus, num.* 15. *Salicetus in d. l. si filius, num.* 4. *Alboric. l. Si postulaverit* §. *Jubet, n.*5. *ff. ad l. Juliam de adult. Baid. l. Executorem, n.* 32. *versic. modo quero ff. de execut. rei judic. Angelus l. si filius, n.*3. *ff. de damno infecto, & ibi Imola in fine, Chassanæus in consuetudinib. Burgundiæ, rubrica* 2. §. 2. *in principio, num.* 10. *Parisius consil.*157. *num.*36. *volum.*4. *Curtius Senior consil.* 59. *nu.* 12. *Nellus tractatu de bannitis, in* 1. *part. secundi temporis, nu.* 25. *Ascanius Clemens de patria potestate, cap.* 6. *effectu* 2. *num.* 37. *Marianus Socinus Junior cons.*77. *n.* 6. & 12. *volumine secundo, Bernard. Diaz in practic. canonica, in nova editione, cap.* 132. *num.* 6. *Boerius decisione* 7. *numero ultimo, Joannes Lupus rubrica de donationibus inter virum, & uxorem, §.* 66. *n.* 24. *versic. Præsupposito sine veritatis præjudicio, Covar.* 2. *var. cap.*8. *num.*7. *versic. Sic delinquente filio, Crottus l. Frater à fratre, n.* 33. *ff. de condiction. indeb. Gygas de crimine læsæ majestatis lib.* 2. *titul. de pœnis committentium id crimen quæst.*10. *Decisio cappellæ Tolosanæ* 120. *num.* 4. *Suarez l. Post rem judicatam, notabili* 13. *num.* 5. *ff. de re jud. & ibi Valdes in addit. verb. In peculio profectitio, Duennas regula* 275. *limitatione* 7. *Antonius Gomez* 2. *variar. cap.* 15. *num.* 16. *Menochius de recuperanda possess. remedio* 9. *numero* 97. *Caldas l. Si curatorem, verb. Lasis, num.* 118. *in fine, & numero* 152. *versic. Sed in proposita specie*. C. *de in integrum restit. Simancas de cathol. instit. tit.*9. *n.*80. *Julius Clarus, lib.* 5. *recep. qu.*78. *num.* 11. & *Bajard. ibi, in addit. num.* 49. *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.*1. *num.*125. *Azevedo lib.* 8. *recop. tit.*3. 1. *num.*120. *in fine, Cantera in suis qq. criminalibus, tit. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum, c.* 1. *n.* 39. *Plottus inter consilia criminalia Zileti, to.*1. *cons.* 130. *num.* 20. *Farinacius* alios referens *in sua practica, in nova editione, tom.*1. *p.*1. *tit. de delictis, & pœnis, qu.*24. *n.* 3. *Leon. lib.*2. *de justitia, c.*4. *dub.*3. *n.*12. *in fine. Azor. tom.* 1. *institut. moral. l.*5. *c.*7. *q.*8.

18 Quod quidem est verum, quamvis filius haberet à patre concessam facultatem donandi, ac dissipandi ejus peculii. Quia cum non sit donatio, non clauditur in donandi facultate. Nec in dissipandi potestate videtur tractatum de delicto. Sic *Angelus, Imola, Joannes Lupus, Antonius Gomez, Decisio cappell. Tolos. Caldas eo n.*118. *Farinac. n.*4. *Bajard. Peregr. ut. præced.* relati.

SUMMARIUM.

*An ob filii delictum publicetur legitima ei debita in bonis parentum adhuc superstitum? n.*19.
*Quid si pater assignasset, & tradidisset legitimam filio? n.*20.
*An postea obeuntibus parentibus ea legitima publicetur? n.*21.
*An publicentur alimenta debita filio à parentibus, & dari solita? num.*22.

19 QUæstio ultima. An ob filii delictum publicetur legitima ei in bonis parentum adhuc superstitum debita? Ratio dubitandi est, quia filius est quasi dominus

illius, & habet jus certum ad illam. At veriſſimum eſt, eam minimè publicari. Quòd non debeatur filio, dum parentes vivunt l. 1. §. Si impuberi ff. de collat. bon. nec jus illud remotum filii ad parentum bona transfertur in fiſcum. Id etiam conſtat ex l. Si qua pœna 7. §. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris, ubi deciditur avo deportato nepotem ſucceſſurum in legitimam, in quam filius deportati ſucceſſurus erat. Ergo non publicatur. Et ita docent Speculator, tit. de execut. ſententiæ §. Sequitur videre, n. 11. Bald. l. 1. n. 4. in fin. C. de bon. libert. & ibi Salic. n. 10. Idem Bald. d. l. Si qua pœna n. 3. Alber. tract. de ſtatutis, l. 3. q. 27. num. un. Paul. conſ. 212. n. 1. vol. 2. Marianus Soc. Junior conſ. 51. num. 4. 5. & 6. vol. 1. Ruinus conſ. 149. n. 13. volum. 3. Gygas tract. de crim. læſæ majeſtat. lib. 2. tit. de pœnis committentium id crimen, tota q. 9. Cæpola conſ. civili 58. n. 29. Guillel. Benedictus c. Raynutius, verb. Et uxorem, deciſ. 5. n. 281. Curtius Senior conſ. 59. n. 13. Chaſſanæus in conſuetud. Burgundiæ, rub. 2. §. 2. in princ. n. 6. Nellus tract. de bannitis 1. p. ſecundi temporis, n. 33. Covar. lib. 2. var. cap. 8. n. 7. verſ. Sic delinquente filio, Franciſcus Lucanus tract. de fiſco, in p. 2. prim. tit. de publicatione bonorum, n. 2. Simancas de cathol. inſtit. tit. 9. n. 79. Fabianus de Guiochis repet. in auth. noviſſima n. 261. C. de inoff. teſtam. Padilla l. 3. n. 33. & 34. C. de juris & facti ignor. Boſſius in ſua pract. tit. de bonorum publicatione, n. 27. Plotus inter conſilia criminalia Zileti, tom. 1. conſ. 130. n. 55. Decian. conſil. 64. n. 45. vol. 3. Menoch. conſ. 77. n. 27. & 28. vol. 1. de recup. poſſeſſ. remedio 9. n. 176. Gutier. §. Sui, n. 94. inſtit. de qualitat. hæredum, & differ. Peregrinus de jure fiſci lib. 5. tit. 1. n. 97. & 133. Azeved. lib. 4. recopil. tit. 10. lib. 3. num. 145. Bajardus addit. ad Julium Clarum, lib. 5. q. 78. n. 48. & alios referens Farinacius in ſua practica, in nova editione, tom. 1. par. 1. tit. de delictis, & pœnis, q. 24. n. 16. Azor. tom. 1. inſtit. moral. l. 5. cap. 7. quæſt. 8. Vaſquez 1. 2. quæſt. 96. art. 5. diſp. 169. cap. 2. num. 18. Et neminem contradicentem inveni. Quippe falsò in contrarium citatur Cardinalis Clem. 2. in principio, num. 15. quæſt. 7. de ſentent. & re judic. ſolùm enim ait publicatis bonis ob crimen læſæ majeſtatis parentum, publicari legitimam in iis debitam filio. Quod veriſſimum eſt, quia computatur inter parentum bona. At hic de filii crimine agitur.

20 Quod ampliatur, ut ſit verum, etiamſi pater legitimam filio aſſignaſſet, & tradidiſſet. Sic allegans Alexandrum conſil. 37. volum. 1. & Marianum Socinum Juniorem conſil. 51. volum. 1. tenet Bajardus num. præced. allegatus: ac nullam rationem aſſignat. At neuter Doctor ab eo allegatus id dicit: & ideò ſatis dubia redditur hæc ampliatio. Cum enim ea traditione effectus ſit filius legitimæ dominus, non eſt cur non publicetur. Et ita eam tunc publicandam credo.

21 Secundò ampliatur, ut nec mortuo poſt id filii delictum parente, publicetur ea legitima. Quia cum publicatio ad ſola bona præſentia extendatur (ut probavi c. præcedenti n. 8.) non comprehendet legitimam poſt delatam, ſed inter bona futura computabitur, quæ in confiſcatione non clauduntur. Et ita docent Speculator, Ruinus, Paulus, Gygas, qu. 18. nu. 1. Guillelmus Benedictus, Boſſius, Padilla, Decian. numero 46. Gutier. Plotus, num. 57. Farin. n. 19. Bajardus allegati, n. 19. An verò publicetur filio delinquente poſt patris obitum, antequam filius eam petat, diximus cap. præced. num. 49. in fine.

22 Tandem, nec alimenta debita filio à parentibus, ac ſingulis annis dari ſolita, publicantur. Quòd ea non ſint in filii bonis. Atque ita docent Speculator, Curtius Senior, Nellus, n. 36. Gygas quæſt. 9. in fine, Peregr. n. 113. Bajardus n. 109. Azevedo relati, n. 19.

CAPUT XVI.

De uſufructus confiſcatione ob uſuftuctuarii delictum, & ſpecialiter de uſufructu paterno in adventitiis filii, & caſtrenſi, ac profectitio, legitima, & alimentis filiorum, ob crimen patris publicandis.

SUMMARIUM.

Peculium caſtrenſe, vel quaſi, non publicatur ob paternum crimen, num. 1.
Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n. 2.
An ob uſufructuarii delictum publicetur uſufructus? Refertur quædam ſententia, n. 3.
Explicatur ſententia Auctoris, n. 4.
Quid ſi delinquens gravatus ſit eum uſumfructum alteri reſtituere, aut interdicta ſit ejus alienatio? n. 5.
An confiſcentur alimenta incluſa in eo uſufructu, vel quando legatum uſusfructus reſolvitur in alimenta? Remiſſivè, n. 6.
An confiſcetur is uſusfructus, ſi delinquens patiatur maximam, aut mediam capitis diminutionem? n. 7. & 8.
Poſt n. 8. invenies alia ſummaria.

1 Superiori capite egimus de confiſcatione peculiorum, & legitimæ, ob ipſius filii delictum. In præſenti autem eſt ſermo de ipſorum confiſcatione ob ipſius patris crimen. Præmittitur autem diſputatio generalis de uſusfructus confiſcatione ob uſufructuarii delictum, eò quòd ex illa pendeat, quid dicendum ſit de peculiari uſufructu paterno in adventitiis filiifamilias. Nec ulla eſt dubitatio de peculio caſtrenſi, aut quaſi: conſtat enim id minimè ob paternum delictum publicari. Quippe eſt filii, quo ad proprietatem, uſumfructum, & adminiſtrationem. Atque ita tamquam rem certam docent Albericus tract. de ſtatutis, l. 3. q. 12. n. unico, Gygas de crimine læſæ majeſt. lib. 2. tit. de pœnis committentium id crimen, q. 13. n. 1. Nellus tractatu de bannitis 1. part. ſecundi temporis, n. 26. Cantera in ſuis quæſt. criminalibus, tit. de quæſtion. tangentibus punitionem delictorum, c. 1. n. 34. Azeved. l. 8. recop. tit. 3. l. 1. n. 207.

2 Quadruplex ergo quæſtio eſt diſputanda. Prima de confiſcatione uſusfructus ob uſufructuarii delictum. Secunda de confiſcatione adventitiorum ob patris delictum. Tertia de profectitii peculii confiſcatione ob idem delictum. Ultima de confiſcatione legitimæ, & alimentorum, quæ filio debentur in iis patris delinquentis bonis.

3 Quæſtio prima. An ob uſufructuarii delictum confiſcetur uſusfructus? Quidam confiſcari negant, dicuntque tunc cum proprietate conſolidari. Ducuntur, quòd nequiens alienare per contractum, & ultimam voluntatem, nequit per delictum: & ſimiliter, quod ad hæredes extraneos tranſire non poteſt, nec in fiſcum tranſit. Juxta d. c. 14. n. 5. At hujuſmodi eſt uſusfructus. §. Finitur inſtit. de uſufructu. Secundò, quia bona futura non includuntur in confiſcatione juxta dap. c. 14. n. 8. At fructus cedentes poſt confiſcationem ſunt bona futura. Et ideò hanc partem tuentur Bald. l. 1. n. 4. C. de bonis libertorum, & ibi Salicetus n. 6. verſ. De uſufructu, Alex. conſ. 23. n. 14. vol. 1. Bernard. Diaz in ſua practica, in nova editione, c. 132. n. 4. Conradus in ſua practica, titul. de publicatione bonorum, n. 3. limitatione 3.

4 At dicendum eſt commoditatem illius uſusfructus confiſcari, dum uſufructuarius ille debebat eo gaudere. Conſtat ex l. Si poſtulaverit 27. §. Jubet ff. ad l. Juliam, de adult. ibi: Proinde in communi partem publicamus, in proprio, cujus uſusfructus alienus eſt, nudam proprietatem: in quo tantum uſumfructum habuerit reus, magis eſt, ut perceptio uſusfructus ad publicum incipiat pertinere. Præterea, quia uſusfructus computatur inter hujus delinquentis bona: & quamvis ipſe uſusfructus formalis alienari nequeat, poteſt tamen ejus commoditas: ut fatentur omnes. Ergo ob delictum alienari poterit cum reliquis delinquentis bonis. Tandem, quia (ut optimè ait Antonius Gomez ſtatim referendus) uſusfructus non cedit denuo quolibet anno, inſtar annui alimentorum legati, ſed plenè competit uſufructuario à tempore conceſſionis, quamvis commoditas veniat quolibet anno ſolvenda: ſicut in annuo cenſu contingit. Ergo ſicut hic non computatur inter futura deliquentis bona, ſed inter præſentia, & plenè confiſcatur: ita & ille. Et ex his conſtat ſolutio ad contraria propoſita num. præced. Et ideò hanc partem tuentur Cynus l. Corruptionem 16. in fine, C. de uſufr. & ibi Albericus num. un. verſ. Item facit, & Idem Albericus d. l. Si poſtulaverit, §. Jubet n. 1. & ibi Angelus n. 1. Idem Angelus l. Eorum, n. 3. ff. de damno infecto, Alexand. l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, n. 51. ff. eod. tit. & ibi Romanus n. 12. Gygas de crimine læſæ majeſtat. lib. 2. tit. de pœnis committentium id crimen, q. 19. n. 1. Chaſſanæus de conſuetud. Burgundiæ, rubr. 2. §. 2. in princ. num. 17. Nellus tractatu de bannitis 1. par. ſecundi temporis, n. 12. Franciſcus Lucanus de privilegiis fiſci, in par. 2. principali, tit. de publicatione bonorum, n. 2. Ant. Gomez to. 2. variar. c. 15. n. 18. Simancas de catholicis inſtit. tit. 9. n. 19. Plotus inter conſilia criminalia Zileti, tom. 1. conſil. 130. n. 91. Farinacius in ſua practica, in nova editione to. 1. p. 1. tit. de delictis, & pœnis, q. 25. n. 150. Joan. Garzia de expenſis c. 10. n. 47. Peregrinus de jure fiſci, lib. 5. tit. 1. num. 73. & 116. Surdus de alimentis, tit. 8. privilegio 59. n. 22. & 23. Vaſquez 1. 2. q. 96. art. 5. diſp. 169. c. 1. n. 10. Sayro in clavi regia, l. 9. c. 7. n. 7. Molina tom. 1. de juſtitia, diſp. 9. colum. 7. verſic. Ex dictis faciliùs.

5 Atque hæc ſententia eſt vera, quamvis uſufructuarius ille delinquens, ſit gravatus, ut poſt mortem, aut certum aliquod tempus, uſumfructum illum alteri reſtituat: nam eo tempore, quo ipſe delinquens erat illo potiturus, pertinebit ad fiſcum. Juxta deciſionem l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici ff. de jure fiſci. Et tradunt Simancas, & Vaſq. n. præced. relati. Quòd ſi expreſsè interdicta ſit uſusfructus alienatio, ſic diſtinguendum eſt. Si eſt interdicta in favorem aliorum, non confiſcabitur: ſecùs ſi in ſolius delinquentis favorem. (Ut in ſimili dicemus c. 18. n. 5.) Sic Joann. Garzia de expenſis c. 10. n. ultimo, ubi tenet hanc poſteriorem partem, niſi in caſu alienationis ſit alius ſubſtitutus: tunc enim fiſco, ſed ſubſtituto locus erit.

6 Utrum autem confiſcentur alimenta incluſa in ipſo uſufructu, aut ipſe uſusfructus, quando reſolvitur in alimenta, diximus c. 14. n. 43.

7 Limitatur tamen prædicta ſent. ut ob uſufructuarii delictum publicetur uſusfructus, niſi delictum tale ſit, ut ob illud patiatur delinquens maximam, aut mediam capitis diminutionem, tunc enim non confiſcatur, ſed conſolidatur cum proprietate, & erit habentis proprietatem. Sic habetur l. Corruptionem 16. C. de uſufruct. Et docent Bald. ibi n. 7. Alberic. l. Si poſtulaverit, §. Jubet, n. 5. ff. ad l. Juliam de adult. Alexander, Romanus, Plotus, Peregrinus utroque loco, Surd. allegati n. 5. Et quamvis pœnæ damnationis in metallum, & interdicti aqua, & igne, & deportationis, per quas hæc diminutio inducebatur, non ſint hodie in uſu; at poterit hodie verificari, ut uſusfructus amittatur per maximam, aut

mediam

mediam capitis diminutionem, ſi quis perpetuò in inſulam exularet. V. gr. à Oran, vel damnaretur perpetuis triremibus, aut carceribus. Atque ita docent aliis citatis Gregor. Lop. l. 4. verbo O labrando, & verb. A home libre, tit. 31. p. 7. Peregr. de jure fiſci, l. 5. tit. 1. n. 116. Caſtillo de uſufructu, l. 1. c. 66. n. 27. ubi etiam advertit in hoc Caſtellæ regno neceſſarium eſſe ad effectum ut iis pœnis amittatur uſusfructus, auferri bona delinquenti per ſententiam. Ut conſtat ex l. regia quarta, & quinta, tit. 18. par. 4.

8 Advertunt tamen optimè Molina tom. 1. de juſt. diſp. 9. col. 7. verſ. Ex dictis faciliùs, & Rebellus de juſt. p. 1. l. 1. q. 7. ſect. 2. n. 22. in hoc Caſtellæ, & Luſitano regno (ſi tamen in Luſitano, ait Rebellus, excipiantur tria crimina) uſumfructum pertinere ad fiſcum, etiamſi delictum, & condemnatio ſint talia, ut de jure communi in eis finiendus eſſet uſusfructus, tamquam per maximam, aut mediam capitis diminutionem, & rediturus eſſet ad proprietarium: juxta textum d. l. Corruptionem, & §. Finitur, inſtit. de uſufruct. Quia in utroque regno per has diminutiones non amittitur uſusfructus. Et ratio eſt, quia (ut probat idem Molina eadem diſput. 9. col. 5. verſ. His ita conſtitutis) ideò delinquens cenſebatur jure communi per eas diminutiones ac naturaliter mortuus, & ſic extinguebatur uſusfructus, ac redibat ad proprietatem: quia eo ipſo omnibus bonis ſpoliabatur, & pertinebant ad hæredes ab inteſtato, vel ad fiſcum, ſi ob id delictum bona publicabantur. Quod in utroque regno ceſſat: quia l. Regia 4. Tauri, hodie l. 4. tit. 5. recop. & jure regio Portugalliæ permittitur his diſpoſitio libera de ſuis bonis etiam per ultimam voluntatem.

SUMMARIUM.

Proprietas adventitiorum non publicatur ob paternum crimen, numero 9.
Quid de uſufructu, quando pater eum remiſerat? n. 10.
Quid quando non remiſerat? Referuntur variæ ſententiæ, n. 11. 12. 13. & 14.
Expoliatur ſententia Auctoris, n. 15. 16. 17. 18. & 19.
Poſt n. 19. invenies alia ſummaria.

9 Quæſtio ſecunda. An adventitia filiifamilias confiſcentur ob paternum delictum? Et quidem ea, quo ad proprietatem minimè publicari eſt certum. Quia proprietas eſt filii. Et ſic advertunt Nellus tractatu de bannitis, 1. p. ſecundi temporis, numero 26. Cantera in ſuis quæſt. criminalibus, in quæſt. tangentib. punitionem delictorum c. 1. n. 34. Azeved. l. 8. recopil. tit. 3. l. 1. n. 208.

10 Nec etiam quo ad uſumfructum publicari, quoties pater ante delictum eam remiſerat, eſt certum. Quòd tempore criminis jam extra paterna bona erat. Et ità docent Nellus ibid. n. 27. Boer. deciſ. 7. n. 16. in fine, Gygas tract. de crimine læſæ majeſt. lib. 2. tit. de pœnis committentium id crimen q. 19. n. 1.

11 Quare difficultas eò pertinet, an uſusfructus hic publicetur, quando tempore delicti erat patris. Variæ ſunt ſententiæ. Prima abſolutè docet non publicari. Sic Alber. tract. de ſtatutis, l. 3. q. 12. n. unico.

12 Secunda ſententia abſolutè docet eum publicari. Quia cum ſit patris, non eſt cur non publicetur: ſicut de uſufructu aliorum diximus n. 4. Atque ita ſe vidiſſe ſervari teſtatur Bart. l. 3. §. Sed utrum, n. 5. de minor. & quamvis dubius, hanc ſententiam videtur ipſe ſequi. Atque communiter refertur ipſum Bartolum manſiſſe dubium in l. Si poſtulaverit, §. Jubet, n. unico, ff. ad l. Juliam de adulter. Sed falsò allegatur, quia non manſit dubius, ſed quæſtionem hanc movit, ac ſolutionem remiſit ad l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, ff. de damno infecto, ubi nil prorſus dixit. Sed hanc ſent. tuentur Fulgoſius dict. §. Sed utrum, n. 9. Paulus d. §. Si de vectigalibus, in fin. Jaſon. §. Actiones autem, n. 61. inſtit. de action. Ant. Gomez 2. var. c. 15. n. 18.

13 Tertia ſententia ſic diſtinguit. Aut eo delicto amittit pater patriam in filios poteſtatem, & tunc ſola dimidia uſusfructus pars pertinet ad fiſcum, reliqua autem dimidia conſolidatur cum proprietate filii, & ſic ipſius erit. Aut non amittit patriam poteſtatem, & tunc totus publicatur. Hæc poſterior pars innititur rationi allatæ num. præc. Prior autem probatur, quia quoties pater facto ſuo amittit patriam poteſtatem, retinet dimidiam uſusfructus partem, & alia dimidia eſt filii, l. Cum oportet 6. §. Sin autem res, C. de bonis quæ liber. Qua ratione Barth. auth. Idem eſt, in princip. n. 2. C. eod. tit. & multi alii dicunt, patre profeſſo retinere monaſterium dimidiam uſusfructus partem, alteram autem eſſe filii. (Ut de hac quæſtione tractantes dicemus lib. ſeptimo.) Cum ergo in hoc caſu pater facto ſuo, ideſt, delicto amittat patriam poteſtatem, dimidia pars uſusfructus erit filii, confiſcata alia dimidia ad partem pertinente. Sic tuentur Romanus l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, n. 12. ff. de damno infecto, Crottus l. Frater à fratre, n. 59. ff. de condict. indebiti, Gygas tractat. de crimine læſæ majeſt. l. 2. tit. de pœnis committentium id crimen, qu. 19. n. 1. Nellus tract. de bannitis in 1. p. ſecundi temporis, n. 27. Caldas l. Si curatorem, verbo Læſis, n. 152. in fine, C. de in integ. reſt.

14 Quarta ſententia aſſerit totum delinquente patre uſum confiſcari, quando ob id delictum non amittitur patria poteſtas, nil autem ejus, quando amittitur, ſed totum pertinere ad filium, cujus eſt proprietas illorum adventitiorum. Prior pars jam probata eſt. Poſterior autem probatur, quia dimidia pars reſervata patri ſolventi facto ſuo patriam poteſtatem, eſt in præmium facti laudabilis, quo filium emancipavit, & beneficii in ipſum per emancipationem collati. At in hoc caſu eſt factum vituperabile: & nec pater, nec fiſcus aliquo beneficio filium afficiunt: ſed ille ſuam pravam voluntatem delinquendo exequi intendit: hic autem punire delictum paternum. Præterea, quia etiam dum laudabili patri facto, ut ejus profeſſione, ſolvitur patria poteſtas, verius eſt totum uſumfructum, qui erat patris, tranſire ad religionem. (Ut dicemus lib. 7. tractantes de hac quæſtione.) Quòd principalis intentio patris profitentis non fuerit beneficium conferre in filium. Ergo à fortiori in hoc caſu dicendum eſt, nil ejus uſusfructus deperdi patri, ob illud factum ſuum, nec ob id reſervari dimidiam partem patri, ſed alia ratione pertinebit totus ad filium, quia nempe ſolvitur patria poteſtas, quæ ejus conſervandi uſusfructus fundamentum eſt. Et ideò hanc partem tuentur Salicetus l. Si quis poſt hac 9. §. Si quid etiam, n. 4. C. de bonis proſcript. licèt tandem cogitandum relinquat Alexander l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus, n. 45. & 51. ff. de damno infecto, Boerius deciſ. 7. n. 4. Menoch. de recup. poſſeſſ. remed. 9. n. 244. Peregrinus de jure fiſci, l. 5. tit. 1. n. 129. Et poſteriorem partem, nil de priori tractantes, tradunt etiam Plotus inter conſilia criminalia Zileti, to. 1. conſ. 130. n. 24. & Quemada in ſuis quæſt. fiſcalibus, quæſt. 19. Quam etiam ſententiam loquentes de uſufructuario in communi tradidere Baldus, & alii relati, n. 7. & Farinac. in ſua practica, tomo 1. parte 1. tit. de delictis, & pœnis, qu. 24. n. 33.

15 Sed meam ſententiam triplici explicabo concluſione. Prima ſit. Quando ob delictum paternum non amittitur patria poteſtas, confiſcatur totus uſusfructus ab ipſo habitus in eis filii adventitiis. Hanc concedunt omnes ſententiæ allegatæ triplici num. præc. & ibi eſt probata.

16 Quare minùs benè Cantera in ſuis qu. crim. in q. tangentibus punitionem delictorum, c. 1. n. 35. dixit tunc ſolum uſumfructum acquiſitum ante ſententiam publicari. Ducitur autem, quia ſola bona, quæ reus re vera habet, tempore ſententiæ publicantur: at uſusfructus quamvis acquiſitus patri ſit à tempore, quo adventitia filius comparavit; at re vera, & cum effectu non acquiritur, donec percipiatur, & cum hoc contingat poſt ſententiam, non confiſcabitur, ſicut nec cætera bona poſt ſententiam acquiſita. At hoc improbatur ex iis, quæ diximus n. 4. in ultima ratione, allegato Antonio Gomez.

17 Limitatur autem concluſio, ut totus ille uſusfructus publicetur pro eo ſolo tempore, quo apud patrem non delinquentem permanere debebat: ſicut contingit in aliis uſufructuariis. Quòd cum fiſcus in ſolum patris jus ſuccedat, non amplius, quàm ille jus acquirit. Quare ſi poſtea filius in hoc Caſtellano, aut Luſitano regno matrimonium ineat ſecutis Eccleſiæ benedictionibus, ſicut ex tunc percipere debebat uſumfructum, & patri auferendus erat, ita ex tunc auferetur fiſco, & pertinebit ad filium. Sicut cap. præc. n. 8. in fine, dixi in ſimili caſu.

18 Secunda concluſio. Si ob patris hæreſim bona ejus publicantur, nil uſusfructus confiſcabitur, ſed totus ille conſolidatus cum filii proprietate pertinebit in poſterum ad filium. Et in hac convenimus cum quarta ſententia relata n. 14. Ratio hujus præciſa non eſt, (ut egregiè advertit Molin. to. 1. de juſt. diſp. 9. col. 7. verſ. Ab hac regula) quòd ob id crimen egrediatur filius patris poteſtatem: quia id (ut nos etiam advertimus, c. præced. n. 8.) tantùm probaret de uſufructu adventitiorum, quæ poſt libertatem à patria poteſtate filius acquireret: non enim amittit pater ob eam exemptionem filii, uſumfructum bonorum adventitiorum antea acquiſitorum. Sed præciſa ratio eſt, quia ita potenter juris diſpoſitione, c. 2. §. Finali, de hæret. in 6. ibi. Cum dignum ſit, ut propter tanti atrocitatem delicti, filii eſſe in parentum hæreticorum deſierint poteſtate, filius ob patris hæreſim egreditur patriam poteſtatem, ut omninò, & quo ad omnia ſua bona maneat exemptus. Et ideò hanc ſententiam tenent Simancas de cathol. inſtit. tit. 9. n. 81. Vaſquez 1. 2. q. 26. art. 5. diſp. 169. c. 2. n. 18. v. 8. (quamvis enim hic non explicet de hæreſi loqui, refert, & ſequitur Simancas, qui de paterna hæreſi loquitur.) Azor. to. 1. inſt. moral. l. 5. c. 7. q. 8. & l. 8. c. 12. q. 15. Leonard. l. 2. de juſt. c. 3. dub. 5. n. 23. in fine, Cantera in ſuis quæſt. crim. in quæſt. tangentibus punitionem delictorum, c. 1. n. 35. Rebellus de juſt. p. 1. l. 1. q. 7. ſect. 2. n. 23. Sayro in clavi regia, l. 9. c. 7. n. 7. Molina tom. 1. de juſt. diſp. 9. colum. 7. verſ. Ab hac regula, diſp. 229. in tertio modo, quo filius à patria poteſtate liberatur.

19 Ultima concluſio. Quando ob aliud patris crimen egreditur filius patriam poteſtatem, ut eò quòd ob illud patiatur pater maximam, aut mediam capitis diminutionem, ut habetur §. Cum autem is, & §. Servus pœnæ, inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſt. ſolvitur, non amittit pater uſumfructum adventitiorum, quæ ante delictum filius comparavit, ſed eorum tantùm, quæ poſt delictum filius acquiret. (Ut conſtat ex dictis num. præc.) Et ideò ſolus priorum bonorum uſusfructus pertinebit ad fiſcum, utpote qui erat proprius patris: at poſteriorum, erit ipſius filii. Sic Molina tom. 1. de juſtit. diſput. 9. col. 7. verſ. Ab hac regula.

SUM-

SUMMARIUM.

An peculium profectitium filiifamilias publicetur ob patris crimen? Refertur quadam sententia, n.20.
Explicatur sententia Auctoris, & solvuntur contraria, n.21.
Quid si ob id crimen perdatur patria potestas? n.22.
Quid si crimen sit læsæ majestatis, aut hæresis? n. 23.
An id peculium ita reservetur filiis, ut nec creditoribus patris sit eo solvendum? n.24.
Post n.24. invenies alia summaria, quæ desiderantur.

20 QUæstio tertia. An ob patris crimen publicetur peculium profectitium filiifamilias? Duplex est sententia. Prior ait publicari. Ducitur, quòd illud sit proprium patris, & quo ad dominium, & quo ad usumfructum *l. Certum*, 13. *C. Familiæ ercisc.* Secundò ex *l. 1. §. Quamdiù servus*, qui solet citari *§. Sed & si alio, vers. Sed etsi morte ff. quando de peculio actio annalis est*, ibi, *Sed etsi morte patris, vel deportatione, sui juris fuerit effectus filius, de peculio intra annum hæres patris, vel fiscus tenebitur*. Ubi deportatione patris dicitur fiscum tenuisse solvere debita ex filii peculio. Ergo id publicatum est. Tertiò, quia *l.3. §. Sed utrum, in fine, ff. de minor.* cui contraria sententia innititur, eam non probat. Quia *ibi* non agit *Jurisconsultus* de publicatione bonorum ob crimen, sed de occupatione bonorum ob debita; ut constat ex illis ejus verbis, *Propter debitum pecuniarium*: nec dicit fiscum tunc non lucrari peculium, sed decidit id separandum: quod significat postea discutiendum esse, an ad fiscum, an potiùs ad creditores pertineat. Et ideò hanc sententiam tuentur *Bald. l. Filius, num. 2. vers. Sed quid è contra ff. de his qui sunt sui, vel alieni juris, Viglius inst. quibus non est permissum facere testament. in principio. num. 21. & Baldinus ibi, versic. Neque, Simancas de cathol. instit. titul. 9. num. 17. Caldas l. Si curatorem verb. Læsis, n. 119. in fine C. de in integr. rest. Vasquez 1. 2. q. 96. art. 5. disput. 169. cap. 1. num. 10. Azor. tom. 1. institut. moral. lib. 5. c. 6. quæst. 8.*

21 Posterior sent. (cui tamquam probabiliori accedo, licèt præcedens sit satis probabilis) ait id peculium minimè publicari, sed reservari filio. Probatur ex *l.3. §. Sed utrum, ad finem, ff. de minor.* ibi: *Licèt aliquo casu peculium ad filium spectet, ut puta si patris ejus bona à fisco propter debitum pecuniarium occupata sunt: nam peculium ejus ex constitutione D. Claudii separatur.* Ubi *gl. verb. Separatur*, ait, *ut salvum habeat filius*. Et ratio est, quia cum filius in dicto peculio habeat administrationem, non debet illa privari ob patris delictum. Quippe ea privatio est pœna *l. Testamento Centurio 51. in fin. ff. de manumissis testam.* Nec obstat adversariorum solutio *num. præced.* relata. Quia (ut benè ait *Caldas l. Si minorem, verb. Læsis, n. 119. C. de in integ. restit.*) hic textus est necessariò intelligendus de condemnatione ex delicto. Tum quia faciliùs condonat princeps pœnam ob delictum sibi debitam, quàm debitum aliud pecuniarium: in priori enim casu de lucro non comparando agitur, in posteriori autem de propriis bonis amittendis. Tum etiam, quia littera illius *§. Sed utrum*, juxta veriorem lecturam Florentinam non habet id verbum, *pecuniarium*, sed solùm dicit *debitum*, quod juxta omnes accipi etiam potest pro debito ex delicto, *l. Si cui ex empto 12. ff. de verb. signif.* imò nec est legendum, *debitum*, sed *delictum*. (Ut probat *Baldinus in Justiniano, fol. 131.* Nec alia solutio à contrariis data obest: quia clarè in eo *§. Sed utrum*, dicitur id peculium spectare ad filium, ut constat ex eo verbo, *spectet*, quod cum effectu est intelligendum. Tandem, quia non obstat dict. *l. 1. §. Sed etsi morte*, quam retuli *numero præcedenti* pro contraria sentent. quia *ibi* non deciditur hoc peculium publicari, sed casu, quo publicetur, teneri fiscum ad debita. Et ideò hanc sententiam sustinent *gloss. l. penultima verb. Patre C. qui bonis cedere possunt, & ibi Cald. in fine, & ejus Additionator verbo Creditores, Salicet. numero 3. Bart. l. Si finita 15. §. Si de vectigalib. n.12. ff. de damno infecto, & ibi Alex. n.44. Imola n. 55. Paulus n.7. Roman. n.16. Alberic. l. Si postulaverit, §. Jubet n. 5. ff. ad l. Juliam de adulter. Angelus tract. de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, n. 27. & l. Si filius 3. in fine C. de bonis proscript. & §. Actiones autem n.13. ad finem, instit. de act. ubi Jason, n. 64. Idem Jason, repet. l. Frater à fratre, n.3. ff. de condict. indebiti, & ibi Crottus, n.31. Barth. Socin. cons. 121. n. 20. volum.4. Nellus tract. de banniitis 1. p. secundi temporis n. 26. Joann. Lupus rubr. de donat. int. vir. & uxor. §. 66. n.24. versic. Præsupposito sine veritatis præjudicio, Sylvest. in summ. verb. Peculium 1. q. 3. vers. In profectitio verò, Rosella verb. Peculium, n. 22. & ibi Angel. n.16. Tabiena ibi, qu.17. n.18. in fine, Covar. l.2. var. cap.8. num.7. vers. Hinc apparet, Suar. l. Post rem judicatam, notab. 13. n. 6. & 9. ff. de re judic. Anton. Gom. lib.2. var. c.15. num.16. Duennas reg. 275. limit.7. Flotus inter consilia crim. Zileti, tom.1. consil.130. n.23. Cantera in suis quæstionibus crimin. tit. de quæst. tangentib. punitionem delictorum, c. 1. num. 36. Bossius in sua præct. tit. de bonorum publicatione n. 71. Jul. Clar. l.5. recept. q.78. numero 14. Peregr. de jure fisci, l.5. tit. 1. numero 126. Menoch. de recup. possess. remedio 9. num. 73. Decisio cappellæ Tholosanæ 120. num.5. Meres de major. in priori editione p.4. quæst. 73. n. 19.* ubi & alios refert, *Farinac. in sua præct. in nova editione tom.1. p.1.q.24. n.26. Navarra l. 3. de rest. cap.2. part.2. dub.4. in nova edit. num.79.* Eamdem verè tenet *Azeved. l. 8. recop. tit. 3. l.1. n.209.* quamvis enim videatur oppositam tenere, at hanc tenet cum limitatione, quam *num. sequenti* explicabimus, quamquoque limitationem amplectuntur aliqui ex Doctoribus citatis pro hac sent. ut *ibi* referemus. Eamdem quavis dubius tenet *Cygas tract. de crimine læsæ majest. l. 2. tit. de pœnis committentium id crimen q. 13. nu. 4.* in criminibus, in quibus filii non puniuntur ob paternum delictum.

22 Limitatur primò hæc sententia, ut intelligatur, quando pater commisit tale delictum, ex quo non imponitur sibi pœna mortis naturalis, vel civilis, & per consequens non aufertur sibi patria potestas, nec filius efficitur sui juris. Quia tunc peculium profectitium durat, & ideò non debet filio auferri per fiscum. Si verò tale sit patris delictum, ut prædicta pœna ipsi imponatur, & sic cessat patria potestas confiscabitur utique. Quia tunc desinit esse peculium, *l. Finali, C. de inoffic. testam.* Et affertur pro hac limitatione, *l.1. §. Quamdiù servus*, seu, ut alii referunt *§. Sed & si alio, vers. Sed & si morte ff. quando de peculio actio est annalis*, cujus verba *n.20.* retuli. Sic temperat *Cynus l. Tria onera, ff. de excusat. tutor. Baldus l. Diximus, §. Si pater, in fin. ff. eod. tit. Alex. eo §. Si de vectigalibus, n. 45. & 46. Romanus n.16.* (est autem uterque cautè legendus, quia erratum est in littera, ut benè advertit *Ant. Gom.* statim allegandus.) *Imola ibi n.55. & Suarez n.10. & 11. Azeved. & Cantera*, ubi eos *n.praced.* allegavi. Sed jure optimo hanc limitationem reprobant *Nellus, Ant. Gom. Plotus, n.24. Peregr. n. prac.* allegati: atque ait eam esse valde dubiam *Menochius de recuper. possess. remedio 9. n.85.* Atque *Peregrinus* conatur hanc sententiam esse *Bartol. & Cald.* & ideò dicendum est, cum his Auctoribus, in neutro casu peculium hoc publicari. Quia ad publicationem nil prorsus refert, definere esse peculium cessante patria potestate: cum enim esset profectitium tempore, quo pater in id crimen lapsus est, id sufficit, ne ob id crimen publicetur. Nec obstat textus pro hac limitatione relatus, quia illi satisfactum est, *n. prac.* Et huic etiam parti videtur accedere *Farinacius eadem qu.24. n.28. in fine.*

23 Secundò limitatur, nisi crimen patris sit læsæ majestatis, tunc id peculium profectitium publicabitur. Sic *Imola, Alexand. num.44. & 46. Peregr. n.praced.* alleg. *Cygas, & Cantera, n.37.* loquens etiam in crimine hæresis, & *Azevedo* loquens in sola hæresi, ubi eos *num. 21.* retuli. *Quemada in quæst. fiscal. quæst. 19.* loquens in utroque crimine. Nullus autem hoc probat, nisi *Cantera, & Quemada*, eò quòd per utrumque crimen amittatur patria potestas. Quare limitatio hæc innititur limitationi præcedenti, & ideò sicut illam reprobavi, ita & hanc reprobo, tamquam legitimo fundamento destitutam. Quare huic sententiæ favent *cateri DD. num.21.* relati, qui absolutè nostram sententiam sunt amplexi.

24 Tandem *Cantera n.38. & Azevedo* ubi eos *n. 21.* retul. asserunt hoc peculio satisfaciendum esse peculiaribus creditoribus, & uterque id satis confusè dicit. Sed clarè *Cald. l. Filius n.2. vers. Sed quid è contra, ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur.* ait separationem hujus peculii jussam fieri in textu *l.3. §. Sed utrum, ad finem, ff. de minorib.* quem textum *nu. 21.* pro nostra sent. retulimus, non fieri, ut filius id peculium lucretur, sed ut satisfaciat peculiaribus creditoribus, si illi præferuntur fisco. Cæterùm filium præferri in hoc peculio creditoribus patris, satis innuit *gloss. l. penult. verb. Patre, C. qui bonis cedere, & ibi Bald. ad finem*, quamvis non clarè suam sent. explicet. Et *idem Bald. l. Executorem, n.30. vers. Respondeo bona, C. de execut. rei judic.* dicit in tam infelici confiscationis bonorum patris eventu, id profectitium reservari filio ad alimenta, & sic clarè innuit in illo præferri filium creditoribus patris. Et *l. Si finita 15. §. Si de vectigalibus n.48. vers. Et ex hoc infert, ff. de damno infecto*, ait valde stringi dictum *§. Sed utrum*, dicendo id peculium reservari creditoribus, & ait potiùs esse jus filii in hoc peculio, quàm patris. At prior sententia dicens præferri creditores patris, est verior, quam optimè explicat *Salicetus l. penult. n. 3. C. Qui bonis cedere*, dicens quando cætera patris bona non sufficiunt solvendo creditoribus paternis, satisfaciendum illis esse hoc peculio, & ita illis non præferri filium: eo quòd dominium ejus peculii sit patris. Item, quia æs alienum minuit filiorum legitimam, nedum hoc peculium. Tandem, quòd naturali æquitati dissonet, filium tractantem de lucro captando, præferri creditoribus tractantibus de damno vitando. Quare concludit sensum prædicti *§. Sed utrum*, eum esse, ut filius in hoc peculio præferatur fisco, & ideò non publicatur cum reliquis patris bonis. Quia fiscus tractat de lucro, at filius quasi de retinendo debito.

SUMMARIUM.

An publicatis parentum bonis, reserventur filiis legitima, & alimenta? n.25.
Quid in crimine hæresis, & læsæ majestatis? n. 26.
An liceat filiis pauperibus furripere hæc alimenta? n. 27.

25 QUæstio ultima. An publicatis bonis ob patris crimen, publicentur etiam legitima, & alimenta debita filiis in iis bonis? Hæc satis controversa est, ut potest videri apud *Peregrinum de jure fisci, lib.5. titul. 1. numer. 34. usque ad 44. & num. 75. & 76. & apud Farinacium in*

in sua præct. in nova edit. tom.1. p. 1. tit. de delictis, & pœnis, quæst. 24. a num.34. usque ad 47. quibusdam negantibus. At communis, ac verior sententia est, extra crimen læsæ majestatis, & hæresis, reservari filiis antè bonorum publicationem natis alimenta. Ut multis citatis defendunt ibi *Peregrinus, & Bossius in sua practica, titul. de bonorum publicatione, numero 8. Jul. Clar. l.5. receptarum, quæst. 78. numero vigesimosexto.* Atque extra hæc duo crimina sunt intelligendi *Duennas regula 367. ampliatione 4. in fine, & Matienzo lib.5. recopil. titul. 8. lib.8. gloss. 1. numero 21.* ubi tradunt fiscum bona publicantem teneri filios etiam spurios condemnari alere.

26 At quando ob hæresim publicantur, non tenetur filios fiscus alere, sed omnia prorsus parentum bona publicantur, nullis alimentis reservatis, sed aliquando ex quadam misericordia præstantur parvulis horum filiis. Quod quidem ob hujus criminis atrocitatem justissimè fit. Nam etsi parentes adstringantur jure naturali ad filios alendos, non ob id impeditur, quin illis integrum sit bona omnia hypothecæ alicui subjicere per contractum, ac sæpè à creditoribus omnia usurpantur, non deductis filiorum alimentis. Ergo à fortiori id poterunt per delictum. Prior enim obligatio ex propria parentum voluntate oritur: posterior autem ex legis præscripto ob bonum commune, ut tam atrocis supplicii timore arceantur parentes ab hoc delicto patrando. Item quia textus *c. Vergentis 10. de hæretic.* corrigendo in hoc jus civile, aufert omnino filiorum successionem in hæretici parentis bona, jubetque eis penitus exhæredatis omnia bona publicari. Atque ita docent *Imola Clem. Pastoralis, num. vigesimoquinto, de sentent. & re jud. Joann. Lupus c. Per vestras, notabili 3. §. 23. num.decimo sexto, de donat. int. vir. & uxor.* & quamvis *§. 24. num. nono, & l.77. Tauri in fine*, videatur contrarium dicere, remittit tamen se ad hunc locum. *Montalvus l. nona, verb. A otro, tit. 5. lib. 3. fori, Castillo l.77. Tauri, num. nono, Gomez Arias l.4. Tauri, num. 92. ubi Avendanno Junior glossa septima, n. 9. Simancas de institut. cathol. 1.29. numero 12. Lara l. Si quis à liberis, §. Si mater, num. 16. ff. de liber. agnos. Baeza de non melior. filiabus, cap. decimoquinto, num. 25. 26. & 27. Rojas epitome successionum, cap. 7. num. vigesimo tertio, & singulari 47. num.2. & 3. Penna in directorio Inquisitorum* referens instructionem Hispalensem 2. *part. in commento 9. Cantera in suis q. criminalibus, tit. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, c. 1. num.20, Bursatus cons. 289. num. 22. vol. 3. Barbosa l. 1. par. 4. n.84. & 85. ff. soluto matrim.* Atque idem tradunt in crimine læsæ majestatis humanæ, *Barbosa ibi, Peregrinus eodem tit. 1. num. 34. in fine, Bossius in sua practica, titulo de bonorum publicatione, num. 8. & tit. de crimine læsæ majestatis, num. 134.*

27 Ex quo sit id, quod tradit *Guillelmus Benedictus cap. Raynutius, verb. Et uxorem, decis. 5. n.286. de testam.* nempe, etsi in eo regno publicatis parentum bonis non reserventur legitima, & alimenta filiis, integrum tamen esse illis in foro conscientiæ, si pauperes sint occultè rapere, nec teneri sic rapta restituere, & refert pro se *Guillelmum de Montelaudense*; intelligendum esse, quando extrema necessitate laborarent: in quo casu fas est à quocumque furari, cum omnia tunc sint communia. Et ita docent *Imola num. prac.* relatus, *Joannes Lupus eo §. 23. n.16.*

CAPUT XVII.

De bonorum conjugum confiscatione, ob proprium, alteriusve conjugis delictum.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint? n.1.
Neutrius conjugis bona ob alterius delictum publicantur, n.2.
Explicatur quæ sint bona uxoris non publicanda ob viri crimen: & an publicatis viri bonis, possit uxor propria auctoritate ea capere? n. 3.
An arrha uxoris, aut quæ illi dantur in signum ineundi matrimonii, publicentur? n.4.
Dos non verè tradita, sed quam vir fatetur se recepisse, publicatur, n. 5.
An fiscus possit opponere dotis non numeratæ exceptionem? n. 6.
An dos hæc ex sola viri confessione constans, quæ potest deduci adversùs creditores, & hæredes viri, ob lapsum fatalium, possit deduci contra fiscum? n. 7.
An dum fiscus non solvit uxori dotem, teneatur eam alere? numero 8.
An viro vendente fundum dotalem, ex jurato uxoris consensu, & postea fisco eum vindicante ob viri hæresim, liceat uxori eum à viro repetere? n.9.
An donatio propter nuptias facta à viro uxori, confiscetur ob viri delictum? n. 10.
Quid de quarta bonorum viri parte debita uxori inopi? Refertur quædam sent. & explicatur, an hæc deducenda sit ex toto bonorum corpore, instar eris alieni, n.11.
Explicatur sententia Auctoris, n.12.
An ob viri delictum confiscentur donationes facta uxori à consanguineis viri? n.13.
Quid de vestibus datis uxori à viro? n.14.
Quid de aliis donationibus factis uxori à viro inter vivos? n.15.
Quid de donationibus causa mortis factis uxori, vel aliis? n.16.
An dos uxoris nubentis scienter hæretico confiscetur? num. 17. 18. & 19.
Et quid si virum hæreticum non denuntiet? eo n.17.
An hæc pœna extendatur ad reliqua uxoris nubentis scienter hæretico bona? n. 20. 21. & 22.
An vir catholicus ducens scienter hæreticam, incurrat eamdem pœnam? n. 23.
An uxor perdat dotem, eò quòd virum hæreticum comitetur? numero 24.
Post n.24. invenies alia summaria, quæ desiderantur.

1 DUplex quæstio est tractanda. Prior, de bonis uxoris publicandis ob viri delictum, & è contra. Posterior, an dos, & reliqua uxoris bona in viri præjudicium publicentur, ob uxoris crimen: & è contra; quæ bona viri ob ipsius viri crimen?

2 Quæstio prior. An dos, & reliqua uxoris bona publicentur ob viri delictum, & è contra bona viri ob uxoris crimen? Qua in re id certissimum est, neutrius conjugis bona publicari ob alterius delictum, sed sola conjugis delinquentis, reservatis innocenti suis bonis. Quòd rationi dissonet, innocentem ob alterius crimen puniri, ubi id non est jure expressum. Sicut expressum jure est, puniri filios ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ patris. At in hoc casu id non est expressum, imò contrarium, ut *num. sequenti* videbimus. Et ideò succedit regula tradita in *l. Sancimus 22. C. de pœnis*, ut pœnæ solos delinquentes ligent.

3 Hinc deducitur non confiscari ob qualecumque viri delictum, dotem uxoris, nec paraphernа, nec arrhas, nec sponsalitiam largitatem, quando ea est uxoris (quod quando contingat, non est hujus loci, sed latè tractavi *l. 6. de matrimon. à disput. 18. usque ad 22.*) nec medietatem lucrorum, quę constante matrimonio acquisita sunt, in partibus illis, in quibus ea lucra inter conjuges dividuntur: nec quæcumque alia bona propria uxoris. Affirmant universi ob rationem *numero præcedenti* traditam: Et de dote est textus *c. Decrevit 14. de hæret. in 6. & l. Si marito 32. in principio, ff. soluto matrim.* Et de ea, ac omnibus bonis propriis uxoris, *l. Si quis posthac 9. in principio, C. de bonis proscript.* & de medietate lucrorum est *l. regia 77. Tauri, hodie l.10. tit.9. l.5. recop.* ubi definitur medietatem horum lucrorum computandam esse usque ad sententiam criminis declaratoriam. Et de arrhis est textus *l.8. tit.10. par.7.* Imo ipsa uxor potest bonis viri publicatis, res suas propria auctoritate capere. Ut constat ex *dict. l. Si quis posthac*, & advertit *Joannes Lupus rubrica de donat. inter vir. & uxor. §. 66. n.18. vers. Prædicta sunt intelligenda.*

4 Dum autem dicimus arrhas datas uxori à viro non confiscari ob viri delictum, intellige de arrhis, ut sunt in usu apud Hispanos, quæ sunt donatio, quam facit sponsus sponsæ, aut vir uxori, in præmium dotis receptæ, aut nobilitatis, aut pudicitiæ sponsæ, quæ fit propria uxoris per matrimonii consummationem. Et explicavi *l.6. de matrimon. disp.22. n.18.* Nam si sumantur, ut apud omnes sunt in usu pro pignore, quod inter sponsos traditur in signum complendi matrimonii (quod vulgo *dar fennal* appellamus) sicut in aliis contractibus, dum inter partes convenit de ipsis perficiendis, solet aliquid in signum perficiendi contractus tradi; non confiscantur semper, sed aliquando confiscantur, & aliquando non. Quia cum secuto matrimonio (ut in hoc casu contingit) redcant hujusmodi arrhæ ad dantem, sintque omninò ejus: ut constat ex *l. Finali, C. de sponsal.* & probavi *l.1. de matrimon. disp. 36. num.2.* si vir eas dedit, confiscabuntur ob ipsius delictum, sicut res ipsius propriæ: secùs autem si uxor eas dederit, tunc enim propter solum uxoris delictum confiscabuntur. Quod ex se est manifestum, & tradit *Cantera in suis quæst. criminal. in quæst. tangentibus punitionem delictorum, c. primo, num. 29.*

5 Dotem etiam uxoris non publicari ob viri crimen, intelligitur de dote verè tradita, nec sufficit eam constare ex sola viri confessione in quovis instrumento facta. Ut expressè deciditur *l. Si quis posthac 9. in principio C. de bonis proscript. & l.1. C. de dote cauta, non numerata.* Qualiter autem dos hæc à viro asserta, sit probanda, ut noceat creditoribus viri, & fisco, consulendi sunt *Covar. l.1. var. c.7. à num.4. Simancas de cathol. instit. tit.9. num.68. Ant. Gom. l.52. Tauri, nu. 25. Menochius de præsumpt. l.3. præsumptione 12. num.68. & tota præsumpt. 13. Valascus cons. 6. to.1. Molina to.2. de justitia, disput. 439. in fine.*

6 Quare fiscus potest adversùs uxorem illius, cujus bona publicantur, uti exceptione dotis non numeratæ *dict. l. Si quis posthac, in principio.* Id tamen procedit fisco opponente intra terminum jure præscriptum ad exceptionem hanc opponendam. Sic tradunt *Covar. l.1. var. c.7. n.6. vers. Quod præterea apparet*, ad medium illius, *Simancas de cathol. institut. tit.9. num.69. Vasquez 1. 2. q.96. art.6. disp.169. cap. 1. n. 12.* Hoc autem tempus est annus continuus à morte (addit *Simancas*, vel à condemnatione viri.) Sic *Simancas, & Vasquez ibi.*

7 Unde dos hæc ex viri confessione constans, quæ potest deduci adversùs creditores, & hæredes viri, ob lapsum fatalium, potest etiam deduci adversùs fiscum. Quod *allegatis Bartolo, Alex. Paulo, Natta, Rolando*, tradit, *Peregrinus de jure fisci, l. 5. tit.1. n.82.*